Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2481
Quelle:
Copyright:

domine prope locum de barbarano archiepiſcopatus Terracen. et vocatur Dyabolus coluber. Quaeſtio prima: *Si adam non peccaſſet, mulieres ſi peperiſſent cum dolore?* Reſponſum: *Quod non; quia propter peccatum primi parentis pena fuit inflicta mulieribus.* Multa inepta de Damnatis rogantibus Deum, ne Socii, quos habuerunt, veniant in hunc locum, de corpore cujusdam S. *Julianae* coaetaneae B. V. *Mariae* &c. Tempus hujus Commenti eruitur e Quaeſtione: *Quis iſtorum pontificum erat verus papa. Reſpondit, quod primus. Dixit idem frater benignus, quod primus dominus Clemens. Iterum dixit demon, quod primus* &c. Itaque *poſt* an. 1378. quo *Clemens* hic dictus VII. *Urbano* VI. obpoſitus fuit. Quomodo hic autem *primus* dici poteſt, electus menſe *Sept.* cum *Urbanus* jam menſe *Apr.* electus fuerit?

XV. *fol.* 155. *Epiſtola beati bernardi ad quendam nobilem militem de cura et modo Rei familiaris utilius gubernande.* Vide, quae de ſubpoſito hoc Foetu, qui *Bernardi* cujusdam *Silveſtris* eſt, ad *Codd.* CCXLI. et alios diximus.

DCXLVIII.

502 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 100. 4. excepto primo Ternione perquam nitide ſcriptus et rubricis diſtinctus, olim *monaſterij ſcotorum Wienne*, continet Sequentia: I. *Epiſtolam petri damiani ad Ariprandum diſcipulum ſuum de correptione que fit utiliter in ſancti ordinis diſciplina.* Incipit illa: *Ariprando fratri kariſſimo. p. peccator monachus paterne dilectionis affectum. Exigis dilectiſſime fili ut tibi aliquid ſcribam* &c. Eſt in edit. *Pariſ.* 1664. Opp. *Petri Damiani* O. S. B. Epiſcopi Card. *Oſtienſ.* a. 1072. defuncti T. III. p. 320. *Opuſculum* XLVI. quod non uno loco e praeſenti Codice emendari poſſet. Ita ſub principium pro *qui ſcribis* rectius *quod ſcribit*, et pro *ſeueritatis conſuetudinem* rectius *ſancti ritus conſuet.* legitur.

II. *fol.* 4. p. 2. habetur Excerptum ex Ejusdem *Epiſtola ad Teuzonem* nobis *thezonem heremitam*, quae in edit. *ſupracit.* p. 343. eſt *Opuſculum* LI. Fragmentum noſtrum incipit ab iis C. 10. verbis: *Tu quoque ſi recte ſi diſcrete ſi fructuoſe per viam vis ſancte religionis incedere* &c. et in *eod. C.* deſinit hiſce: *et manſuetudinis iura ſeruantur.*

III. *fol.* 5. *Sermo bonus ad Religioſos.* Initium: *Argentum igne examinatum &c. Hic nota itinera uiri religioſi qualis ſcilicet debet eſſe in ingreſſu et qualis in progreſſu* &c. Inſigniter bonus ſit, oportet, cui Sermo hic bonus videatur, qui inter alia curandae inani gloriae et jactantiae *ſtercus aſininum aceto infuſum* praeſcribit, malis item cordis affectionibus *farinam ordei cum ſucco malogranati.*

IV. *fol.* 7. absque Titulo Tractatus de *Confeſſione* Sacramentali, cujus initium eſt: *Cum ſit ars arcium regimen animarum ignominioſum eſſe conuincitur electos ad*

hoc